

omnem naturalem præparationem, & totum hoc, quod ad perfectionem requiritur.

48. ¶ Elixir, aurum potabile, quinta essentia, & semen, ex eadem materia fiunt.

49. ¶ Opinio quorundam? qui elixir fieri volebant ex auro communi.

50. ¶ Elixir ex auro communi fieri non potest quia ipsius sulphur jam ad ultimum, permanentemque tincturam pervenit & ipsius tinctura hoc non excedit, quod sibi necessarium erat. Propterea aurum & completum & determinatum dicitur, neque (ut maxime necessarium erat) debite ad primam materiam reduci potest.

51. ¶ Humidum radicale, in cæteris metallis æque virtuosum, incorruptum & incombustibile est, ut auri.

52. ¶ In lapide Philosophorum, aurum & argentum sunt in potentia & virtute.

53. ¶ Per corpora perfecta Geber sulphuris præparati species intelligit.

54. ¶ Aurum Philosophorum, & aurum potabile, sulphur subtilissimum radicale sunt, quod anima dicitur.

55. ¶ Fumus albus, in suo ventre fumum rubrum portans, est vera quinta essentia.

):( 5 56.